D. … Teol. 5360.

… dalb. Joach. Eminentia virtutum
et sapientiae.

EMINENTIA
VIRTUTUM
&
SAPIENTIÆ,
D. THOMAS
AQUINAS,
DOCTOR ANGELICUS.

Recurrente annua suæ Festivitatis luce
In Augusta Basilica D. DOMINICI,
Celeberrimi Conventûs Posnaniensis Ordinis
PATRUM PRÆDICATORUM,
In publica Magnorum Hospitum Coroná,
profundo cultu, & officiosa Panegyri.

A

M. ADALBERTO JOACHIMO *de Foltanowice*
FOLTANSKI, in Alma Universitate Cracoviensi
Philosophiæ Doctore, in Academia Posnaniensi
Dialectices, & Rhetorices Professore.

ADORATUS.

Annô Salutis MDCCXLVIII. 7mô Idus Martii.

POSNANIÆ, Typîs ACADEMICIS.

IN GENTILITIUM STEMMA
ILLUSTRISSIMÆ
GRABSCIORUM DOMUS.



I. Dicatos Superis ludos non Roma celebret ;
Hunc ABACUM, Patriæ Numina celſa colunt
In quo Gradivus ludendo ſorte beata
Hoſtes eluſit, cuncta trophæa tulit.
II. In quadro poſitam cur portat Virgo Tabellam?
Orbis perfectam noſcat uterq; DOMUM.

ILLUSTRI,
ac
MAGNIFICO DOMINO,
D. STANISLAO
DE GRAB
GRABSKI,
DAPIFERO BRACŁAVIENSI, &c. &c.
Domino, & Mecænati Amplissimo.

POst *peractam nuper Inaugurationis Solemnitatem, iterum* Angelicus Doctor *THOMAS, ad Tua* MECÆNAS Amplissime *descendit liminas adhuc in* Gentilitia Tabula *pro EMINENTIA sui* Sortes *habiturus. Parum Illi erat de Oratorio Suggestu, non tam phalerato, quàm religioso sermone talem terris promulgari, nisi & à* Te *ad ejusmodi complementum Actûs, calculum per me vendicaret. Regum* Siciliæ & Arragoniæ *Nobilissimus Sangvis, parem Regibus, quia per* Avitum Stemma Suriæ Saxoniæq; *affinem Principibus (a)* Tuam *jure merito poscebat PROSAPIAM. EMINENTIA VIRTUTUM & SAPIENTIÆ, ab ipsa*

(a) Brau: lib: 3. fol: 23.

Cœlesti declaratus Curia, ut magnificentiùs Orbi appareret, Tabula Gloriæ, (b) ad hoc erat necessaria, ad cujus quadraturā quintus Ecclesiæ accederet Doctor. Alliciebat simul secundus hìc cuilibet eventus: dum in Gentilitium pervetustæ GRABSCIANÆ DOMUS Abacum, quoties propriæ spei aleam jecerunt Regna, toties absq; sorte læva, felicitatis receperunt taxillos, hôcq; ludô in communi farragine rerum, facilè irata Numina (c) lenierunt. Imò ipsa Lechiadum Patria, si quando cum Phryxæo Libertatis vellere, sæviente ab adverso Aquilone Eolo in periculosos fatorum dejecta scopulos, imploratrices adjutorii ad hanc Tabulam tetendit manus, è naufragio liberata ad optatum votorum semper appulit Promontorium. Si aurei quondam ævi Parens Saturnus chalybe vitiavit sæcula, legit ex illa in ferreo tempore omnî pretiosiora obryzô momenta, in atra infelicitatis nocte albô notatos lapillô dies, quæ si aliquando intingitur nigredine, non bonum omen Patriis Penatibus invisi Mezêtii! funesta vobis exinde speranda clades. Si suâ relictâ Rhodope Carpatum, ejus conscendit Gradivus, illam contra fulmineos hostium impetus Achenæô fortiorem non semel experta murô: Persei scutô, ære triplici fusô Ajacis non indigendo clypeô, unicâ hâc obarmatâ, contra rebellem seu Diis, seu Legibus dum procesſit gygantonomachiam, feliciter triumphavit; ut Gentilitiæ GRABSCIORUM Tabulæ inscribere liceret, Libertatis Populiq; vindex Poloni (d). Non sunt hæc verborum lenocinia MECÆNAS Amplissime: Arma Tua WCZELE, seu SZACHOWNICA nuncupata, frontis generosæ, augusti animi demonstrat Viros, omnî titulô majores distingvit Herôâs, quæ in signum victoriæ à Tuis recepta Antecessoribus, Silesiæ, Sclavoniæ (e) in Ara appendebatur Honorum, Hispaniæ, Hannoniæ, (f) primis acceptata Proceribus; per Boleslaum Chrivoustium illata Poloniam (g) tantum per WCZELIOS (h) Sarmatiæ emolumenti attulit, quantum Quirina Gens Camillis, Troja Hectori, Græcia Achilli, Macedonia adscripsit Alexandro. Ex hac FAMILIA velut ex Cadmi semente, chalybeata Virorum Messis in latèfusis Europæ adolevit campis, & acsi ex Trojano equo, non in unius tantùm decus, & præsidium Orbis, ferro & igne invicti Herôés surrexere. Dicere ego potui Tu

pro-

(b) Okolski Tom: 3. fol 102. (c) Rosinus lib: 5tô ludos inventos ad placanda Numina testatur. (d) Augustus Cæsar inscripsit tabulæ. (e) Okolski ibidem. (f) Bielscius sub Anno 1578. Cromerus &c. (g) Anno 1103. (h) Petra de Tesser cap: 39.

probas ILLUSTRIS DOMINE, *qui adhuc in* Tuis Antecessoribus, *pro integritate Patriæ imperteritus pugnâsti* Pugil, *è Polono Cœlo adversùs rebelles, Encelados fulminâsti* Tonans, *labanti Reipublicæ moli indefessos humeros supposuisti* Atlas, *in arcto Consiliorum tempore* Tripodem, *in dubiis* Oedipum ex Te *effecisti, in Curia Consum, in Panopliis Epaminondam egisti, adeo: ut innumera erga Patriam è Domo hac edisserere merita est idem, quod Atlanticum Oceanum in brevem isthmum redigere.* Illustrissimos ABORIGENUM *Tuorum Splendores* MECÆNAS Amplissime, *Palladianæ non concessum scrutari Noctuæ, ubi & ipsæ quamvis fonte benè lotæ luminis Aquilæ caligarent. Silent hìc Stentoreæ voces, ubi magna* MAJORUM Nomina (Numina *ob immortalia facta dicere debueram) repetendo venerantur sæcula, heroica facinora, quæ Phidiâ, aut Polycletô egent, annalium singraphæ, myrobiblia & grandia loqvûtur syntagmata, stupentq; simul; tantùm in GRABSCIIS naturam valuisse. Sub hac* Consangvinitatis Arbore *in æstu infortuniorum umbram invenit Polonia, de illa invidis Mæoniis præparavit virgas, sapidos prosperitatis legendo fructus, in sua tempora decerpsit corymbos,* Aris Mercurios, Tentoriis *accepit* Gradivos. *De hoc* Alti Sangvinis *Mari ut aureo Cœlum deplueret imbre cataractas sumpsit, post nubila sortis iniquæ sereniores ut surgerent soles, egerunt lavacrô; in eo non unus Libertatis hostis Polonæ Pharaô est submersus. De* Illustrissimis DOMUS Tuæ Ceris, *non semel Poloniæ arsit meridies, ex quibus accensi cerei, fatis ipsis vel tristem noctem, vel ipsa funera prædixerunt. Sed nolo è sepulchris* Majorum *ad Olympum Gloriæ excitare pulveres, nolo probandi locos ex urnarum sumere domicilio, nam ex rectefactorum Tuorum visceribus fortissima* Dexteritatis GRABSCIANÆ *habeo argumenta. Ignoscite* beati Manes, *quod Vobis pagella hæc laudes non panget, magna hæc est eruditio, quam encomiorum vestrorum requirit constructio, & vix illis, quibus in ore sunt sæcula addiscenda. Cujus* Generis *sit GRABSCIANA DOMUS? dicent dissitæ variarum Gentium & Nationū Oræ, ex qua obstrictos militarî Sacramentô, pro sui natali Solo* Coclites, *pro Patriis laribus propriæ jacturam, sive vitæ, sive fortunæ subeuntes* Curtios, *in qualibet athletica pugna* Miltiades *contra Xerxem,* Camillos *contra Senonas,* Scævolam *contra Persenas,* Brutos *contra Tarquinium,* Hectorem *contra Delopes vivacesq; hujus temporis Achivos receperunt. Dicent* Acta,

Metricæ Regni, Areopagi Polono-Tribunalitii, *LegumPandeEtæ per* VSCHOVENSIA, NAKLENSIA, BIDGOSTIENSIA, *aliaq; Majoris Poloniæ Caſtra, quot (i) Pacificatores Reipublicæ* Metellos, *(k) Jurium Dictatores* Lycurgos, *(l) Adminiſtratores Divæ Themidis* Ariſtides, *in Curia & Areopago conſpexere. Prima* GRABSCIOS, *in Senatu Polono poſſediſſe Subſelia teſtantur Faſti, (m) eorum ego longam ſinopſim ad calculum non reduco Oratorium; ſublimiùs meritîs ſuîs evaſerunt, quàm levi pennâ attingi queant. Præmitto ſolùmmodo ad argumentũ Tuæ laudis* MECÆNAS Gratioſiſſime, Illuſtr: *ac* Magnif: RAPHAELEM GRABSKI Subpræfectũ Goſtinensẽ. *Verè hic ſalubrî conſiliorũ medelâ prudẽs Reipublicæ* Podalyrus, *non tantũ Nomine, ſed re ipſa* Angelus, *in officio DEI indefeſſus, qui concreditîs ſibi per Conſtitutionem (n) ex contributione cenſibûs, Eccleſiam Goſtinenſem jam collapſam reſtauravit, & de ſuis ruderibus ad priſtinum reduxit ſtatum. Quid de* geminis Tindaridis FRANCISCO *&* STANISLAO *dicendum? Hæc duo Luminaria* Caſtor *&* Pollux, *diviſerunt inter ſe Imperium:* FRANCISCUS *ſuper* Eccleſiæ *Firmamento Illuſtriſſimos Nobilis Proſapiæ faciens exoriri Splendores, militarium ſpirituum bullitus, quos à ſuis traxit Majoribus* Jolianis *adauxit* Ignibûs, *(o) ſicq; contra animæ pugnando hoſtes, repoſitam, in æternitate Juſtitiæ meruit coronam. In Sarmatico Cœlo contra ejus ſæculi Boleslaos, alter Tonans apparuit* STANISLAUS; *genuina Martis Propago, ſeleEtiſſima bellatorum portio, Dexteritatis prototypus, cujus heroica geſta nulla obliterabit vetuſtas, quæ ipſe ſibi* Praxitelles, *non Phrygio Numidoquè marmore, ſed in viſceribus Patriæ exaravit. (q) Vindicem ejus gladium non ſemel ſenſerunt hoſtes, qui in eorum cervicibus æviternæ famæ incidendo monumenta, documenta dedit, quòd etiam &* Polonum *flammas elicit* Ilium, *quibûs proximus exardeſcat* Ucalegon, *quòd hyemalibus* Sarmatia *ſubjecta rigoribus ſuas in Lechiadum pectoribus ponat* Æthnas, *ſub nivoſiſq; pruinis flãmantia Marte habuerit* Æſtuaria. *Nec ad Scythicam Mæothidem, Almachiam, Daniamq; Propontidem, quidquam de virili remittens calore,* Holſatiam, Daniam, *cum ſibi adjacentibus Provinciis adeò per duo luſtra luſtravit*

(i) Grabſki pacificavit Confederationẽ contra Caſimirum A. D. 1666. Kochowſki Clim: 3. lib: 5. (k) Judex ad Tribunal Regni A. D. 1684. (l) Item Deputatus A. D. 1694. plurimiq; in Caſtris Judices. (m) Okolſki ſub Nomine Brudzewſki, Długoſſus. (n) Conſtitutione A. D. 1618. (o) Ingreſſus Monaſterium Societatis Jeſu. (p) Mortuus ætatis ſuæ Annô 54. Poſnan: A. D. 1705. (q) Conſtit: A. 1685. ejus dexteritatem declarat.

ſtravit flammîs, (r) ut ſævam Scytharum barbariem ultra inhoſpitales Tanais receſſus, numeroſas Coſacorum turmas ultra Boriſthenem fugaverit, ut jam fatalem Ukrainæ Lithvaniæq; accenſam pyram doloſos converterit in cineres, ex quibus Phœnicem Patriæ reſuſcitaret fortunam. Tota major Perſide GRABSCIUS, audax contra Roxolanum proceſſit Leonem, & alter Hercules receptîs de illo manubiîs humeros ſuos, quibuſvis bellicis oneribus pares exornavit. Faſtum Hyperboreum, Briareum illum Moſchoviticum (s) ſua coegit redire ad ſpelæa, edocuitq; ſimul tutiori fide Volgam bibere, quàm Polonum ſitire ſanguinem. Duodecem annîs cum Svecis, Scythis, Moſcha, Coſacis colluctatus, (t) monſtravit ſimul ut Othomanicam Cynthiã, poſt ereptos tot Gentium Regnorumq; ſplendores, ſuperbô tumentẽ pleniluniô, umbra etiam terræ Polonæ conſurgente non ſolùm palleſcere, ſed & ecclypſari. Per Illum in Sardonium exterorum Zoillorum abitura cachinnum nativa Polonorum reintegrata Dexteritas, per Illum præſumptuoſus hoſtium, extremâ Poloniæ minitantium cladem labefactatus auſus, per Illum priſtina Sarmatarum potentia, mentibus rememorata odioſis; qui contra immanes Turcarum copias ſui ad Chocimum Ductor Vexilli, (u) ære & viribûs defendendo Patriam, ex Otthomano triumphavit. Hoc Duce Leonida, colla Biſtonum quilibet meſſuit Polonus, cõtra totius Occidẽtis Imperiũ intrepidus eundo ad arma, inter denſas hoſtium phalanges victrices manus triumphalibûs oneravit palmîs, inter innumera cæſorum cadavera, ubi alii ad caſtas, ille reſpiravit ad coronas, ex truncatorum capitibus Capitolium ſibi immortalis extruxit famæ, ebriôque barbarorum cruore ferrô, feſtum primæ claſſis exaravit. Nec tantùm opere GRABSCIUS, ſed & verbô potens erat STANISLAUS; qui cum Julio indutus ſagô, Martem eduxit in campum, cum Auguſto exornatus togâ, ſcientias revocavit ad Forum, extra Agamemnon & Hector, domi Janus erat & Hipperides, monſtrando publico Soli; quod in GRABSCIIS admirãdâ quâdã ſympathiã Gradivus Hæmum, Muſæ poſuere Parnaſſum. Primò hic POCILLATOR Poſnanienſis, dein CAPITANEUS Kłecenſis, mox CASTELLANUS Rogoſnenſis, quantum in Senatu contra Clodios & Caligulas valuit Pericles? loquantur vel invitè toties dolum Reipublicæ fabricantia Mytti-

(r) Author in Stemmate. (s) Poſnaniæ Epitaphium. (t) Expedi; belli Chocimenſis. (u) Nieśiecki è Societate Jeſu in Stemmatibus.

liorum confusa cogitamina! Non sedente hoc super consilia Fabio, nulla in suo esse Comitiola stetere, his prope adfuit omnibus, præfuit pluribus; verè sine fuco & cerussa sincerus erga Patriã Civis. Videre in illo erat sublime judicium etiam Censorinis negatum, quô nullus gravissima rerum pondera justiori vibravit examine, nullus dissensionum jactatæ procellis Reipublicæ Navi solertiori prospexit prudentiâ: si quæ negotia sphyngem in ænigmatibus fovebãt, resolvit Oedipus, implicata enodavit, è quarumvis perplexitatum Labyrintho liber animo Dædalus in planũ eduxit Patriam, acumine mentis parata vincula scidit Libertati. In abyssali sensuum ejus profunditate non unus submersus Catilina, de cujus mentis ærrario disjuncta Civium vota unionem acceperunt animorum. Exasse suum absolvit ministerium POCILLATOR, (alter Ganymedes dicendus ni propria promotrice virtute hoc meruerit officium) dulce consiliorum nectar purpureo ore propinavit Patriæ, plenum absynthii calicem hosti exporrexit. Aurum optimum CAPITANEI Caput, pretiô suô Lydos Arabasq; vincens, quidquid apud cultiores Gentes gemmis, exquisitisq; antefertur lapillis, complexum, verùm inde non fictitiîs himerîs, sed publicîs cogitationibûs gravidum, quemcunq; edidit ex se partũ, totâ appretiandus Hersonesô. Felix Caduceus! quem Mercurius gestat, felicius Sceptrum! quod Tonantis retinet manus, felicissima Purpura! quæ Illustrissimi hujus CASTELLANI portatur humerîs; utpote: ad candidũ mẽtis ejus ebur nunquàm ruborem contractura. Inter Honorum Soles ad quos alii acsi cerei diffluunt in vitia, animô non æthiops, adamantis præsetulit naturam: in excelsa Dignitatum auge, in qua plurimi popularis turbæ inflati aurâ ambitionis agitantur turbine, superbiâ non triton, Planetarum imitatus Principem, quò altiùs ascendit, eò minùs de se ipso judicabat. Numerosâ virtutum stipatus catervâ ad prælia evocavit scelera, religione Nũma adversùs Divorum Mezentios certabat strenuè, qui primi PRÆFECTI Daniæ assidendo mensæ, videt quendã ex Acatholicis, (cui nonnisi de Stygia palude alimentũ placebat,) ad opiparas portiones dishonore se se nutrientem MARIÆ; hinc velut fulmen ex nubibus excussum armata manu in calumniatorem irruit, (x) pro Domo DEIPARÆ per vulnera & cædes paratus spiritum exhalare. Verè hic Columna ignis dici poterat, qui flagranti Fidei zelô, radiantibûs inextinctæ charitatis

(x) Id ipsum idem.

tatis flammîs cæteros præcedebat. Strenuissimus pro Aris Heros, sed & simul liberalissimus in eas fuit Tiberius, (y) in quas plusquàm quadraginta erogavit millia, felicius cambium in Cœlis recepturus. Revocavit Titi memoriam, cui nulla dies erat, quam aureo in pectoribus indigentiũ non describeret charactere, alter dandi copiâ Cræsus, ferrea tempora beneficarum tactu appretiabat manuum, tunc se vel maximè Dominum ratus, cùm plurima egenorum turba, latus ejus coronaret. Adeste hìc Archimedes! quas Ille opes propter inopes, in Gentilitia numeravit Tabula, vix Vos in Naporea possetis computare. Sed quis palmâ emetiretur Olympum! quis excellentes animi corporisq; Illustrissimi CASTELLANI Dotes, quæ omnem Arithmeticæ excedunt numerum recensere valeret! nulla certè etsi Helicone ebria toto Oratoris eloqueretur penna. Sufficiebat mihi saltim innuere ad auxesim elogiorum Tuorum MECÆNAS Amplissime, utpote de Dignissimo AVO à quo cùm derivaveras Sangvinem derivâsti & virtutes. Stetit laus pulcherimè ad STANISLAUM, penes CASIMIRUM CASTELLANUM Sremensem, Germanum Illustrissimi CASTELLANI Rogosnensis, AVI Tui ILLUSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE, totô refloruit Hymettô. Mars Casimirus, ubi pro Lege & Rege certandum venit: Ejus Dexteræ opus, quòd perfidi Hungari, invasores Sveci, fœdifragi ceciderunt Moschi; ejus adscribitur ferro, quòd profligatæ Scytharum, myriades, illustrata victoriîs Polonia, internecione deleti Turcarum exercitus, qui adversùs Byzantini Tyranni vesanas rabies, simul cum GERMANO suo Illustrissimo CASTELLANO Rogosnensi, catafractæ ad Chocimum Antesignanus erat Cochortis; ut nosceret Europæus Orbis, quòd GRABSCII sint duo Scipiadæ, Otthomanici fulmina belli. Mars CASIMIRUS, ubi pro Fide adversis opponendum pectora rebus, per quem justâ Nemesi Superum deleti contemptores, flammîs cremata debita barathro holocausta, (z) Divina vindicata Majestas, falsa Numina diversîs fusa metallîs, artifices timuere suos. Plures trium cordium Ennios, trium animarum Herillos, in dandis Patriæ adinvenies consiliis, optimus Civis CASIMIRUS (aa) non Syllam egit, ubi de Communi agebatur Bono, in prospiciendis Reipublicæ negotiis centoculum Argum, & bifrontem monstravit se Janum; in Cœlestis Astreæ Subselio, quæ redivivus Solon de-

(y) Elogium ejus Posnaniæ. (z) Illustrissimus hic Castellanus extractâ lingvâ, jussit concremare blasphemum. (aa) Interpretatio Anagrammatica.

cernebat Sancita, statuebat Decreta, cuncta ad mentem Justitiæ erant, certè absq; hyperbole Vir

Quô non justior alter,

Nec pietate fuit, nec bellô major, & armîs

Unum tantùm Sacrarium Virtuti *dicavit Roma*, GRABSCIORUM DOMUS *earum* Pantheon *est, in qua omnium Imagines, eò cultu dignas majori, quòd semper sub modestiæ occultentur velamine, observabis. Cerne reverentialî oculô* Illustrissimum *JOANNEM GRABSKI, JUDICEM, post CASTELLANUM* Nakłensem; *& supremâ antonomasiâ ipsam cum æquitatè Sapientiam veneraberis.* Sarmaticus Gratianus *JOANNES, in sinu* Charitum *Cœlesti ablactatus rore, vultu & ore non turbines sed favonios, non Aquilones sed solas spirabat ethesias, sub serena fronte nulli fovebat fulmina, sub hybla verborum, nulli parabat venenum, sub Hortensii Rosis, nulli ad puncturam porrexit aculeos, sub Gallicani Liliis, sincerum singulis explicuit candorem:* terrestre Numen *dicendus, si de alio præcipuè de hoc fonte plurimũ, cum* Cælestibus *participans, quòd se omnibus affabilem, præstiteritq; gratiosum. JUDEX* Nakłensis, *& ad* Tribunal Regni DEPUTATUS, *ita Fasces tenuit, ut & sceleri timor, & Virtuti fuerit Honor; districtum Justitiæ vibrando gladium, alter* Achilles, *in vulnere sanabat. Aurô sunt non raro venalia jura, Decretorum folia, afflante favorum Favonio, leves persæpè rapiuntur in auras; in* Judice GRABSCIO, *non mendacem* Prothei *figuram, non multiplicem* Polyporum *versuram, non prava sectãtium* Numidarum *inconstantiam, etiam aureos mores sub virgam vocantes invenietis* Aristarchi! *semper hic æqua bilance ponderavit causas, in* Pactoli *naufragari fluentis, periti non censuit esse* Proretæ, *ad umbram argenteæ hanc & illam partem agitari Lunæ* arundinis, *non* colossi *judicavit. Si non omnibus eruditam licuit adire* Corinthum, Ille *Lycæa* Platonis, *Peripatus* Aristotelis *prætergressus, quid quid* Constantinianæ, Alexandrinæq; *sapiunt Bibliothecæ, optimè didicit; de Oratorũ campis svaveolentes decerpsit flores, de Tullianis fluminibus, extra* Thymothei *somnia pulcherrimam etulit prædam, de Attica gleba decoctum ad Literarium Solem eruit aurum, mẽtis suæ opibûs* Pyrhi *annulum, licètsi montis Parnassi ditatum clenodiîs superavit. Edocent hoc quemlibet clarè quàmvis* mu-

ti

ti Magiſtri, *Illius facundi & fæcundi partû*, (bb) *ſeriſq; loqvuntur Nepotibus, quomodo in* hac DOMO, *renaſcentiû quôlibet ſæculò morum, ſuam habet politura limam. Videat ergo* Orbis Polonus! *quantum ſit GRABSCIIS obligatus, degluti-iſſet* totam Chriſtianitatem *Otthomanica Leæna, ni obſtarent* Alcidæ, *decoqueret è* Riphæis *nivibus conſurgens Aquilo* Polonæ Libertatis *florem, ni ſpirarent ethesias, deciperent ſtudii* Pelaſgi *capaciſſimi Pſeudopolitici* Patriam, *ni retegerent dolos, ſeminaret non ſemel inter* Frumentum Electorum *invidus zizania homo, ni circa* Vineam CHRISTI *diligentem haberent curam*, (cc) *certe* Solo & Polo *utiliſſimi!. Publicæ eſſet rapinæ genus, ſi hæc* Tibi ILLUSTRIS *ac* MAGNIFICE DOMINE *denegarentur, quæ narravi. Tui ſunt* ANTECESSORES MECÆNAS Ampliſſime, *qui* Fulcra *Patriæ*, Fulmina *hoſtium*, Clypei *Eccleſiæ per Faſtos recenſentur, quorum in* Te *perfectiſſimam* Iliadem *videre eſt*. Illuſtriſſimi PARENTIS Tui MECÆNAS Ampliſſime *tota coronâdas æternitate, quòd non ediſſero Actiones*, Tu Ipſe *in cauſa; dum earum in toto poſſeſſionem tenes. Satis eſt* Te *intueri*, & *ad ungvem Ejus etiamſi ipſe* Apelles, *obſervabit Imaginem, de quo non tantum* Callicratis, *aut* Protegenis *manus, quantû Tu decerpſiſti. Ut ſaltim nictiçarent Cœli Sidera, Mundi oculum apud* Cleomonem, *neceſſe fuerat caligare:* Phæbeus Materni Tui Generis MECÆNAS Ampliſſime, *dum mihi oboritur Splendor mentis læduntur pupillæ, Tulliani Luminaria Poli ſolâ non niſi contegun-tur levidensâ.* Illuſtriſſimi *ac* fortiſſimi Exercituum COLONELLI, ROTHMAGISTRI, VEXILLIFERI, SUBDAPIFERI, BRONIKOSCII, *immortalibûs Trophæîs aucta Paternæ ad perennem Magni* Nominis *Gloriam recepiſti Decora, quæ in Orbis producere faciem, non puſio animus, non calamus requiritur infans. Tantis PROSAPIÆ Splendoribus tot Illuſtria acceſſerunt Sidera, quot in Orbe Polono affinia Tibi* MECÆNAS Ampliſſime, GLINIECCIORUM, NIEZDROWSCIORUM, RUTKOWSCIORUM, LUBSTOWSCIORUM, ROKOSSOWSCIORUM, GRODZICCIORUM, WODZICCIORUM, RUPNIEWSCIORUM, CHOMENTOWSCIORUM, JASIENSCIORUM, MIELECCIORUM,

(bb) Edidit Librum ſub Titulo: *Prawdy powſzechne náuki Chrześćiańſkiey Filozofii, z Włoſkiego y Láćińſkiego przetłomaczone ná Polſkie.* Poſnaniæ 1703. Varſaviæ 1712. (cc) Joanni Grabſki adſcripta *Palæſtra Pietatis Chriſtianæ*, A. D. 1669. teſte *Nieśieccio*.

SZCZEPKOWSCIORUM, *innumeraq́ numerantur Nomina: ſed dum ſub unius Sphæræ pondere procumbit Atlas, quomodo ſub tota Luminum Patria non fatiſcet?. Sufficit mihi dicere, quod Te Cœlum de hac DOMO prodire voluit, quæ* Seminarium *Virtutum*, Nidus *Heroum*, Templum *dicitur Honorum; in qua non centone, ſed* byſsô & Purpurâ, *exornata ſunt omnia*, totúſq; ex antiquo Senatus. *Qualia præceſſere* exemplaria, *talia* exemplata *ſequi neceſſe: Tu* Majoribus Tuis *par, nō minor, qui adhuc in cunis magno* Jove *dignus fueras, prætextatus nihil non magnum monſtrâſti, præter corpus. Ex glandibus* ilex, *ex dactilis* palma, *ex frondibus* platanus, vites *cognoſcuntur ex racemis, qualis ſit altæ* Tuæ Conſangvinitatis *Arbor? ex* Te *nobiliſſimo Fructu cognoſcere licet. Apparent adhuc in aurora* Soles, *in radice dignoſcuntur Cedri:* Tu *quantus qualiſvè futurus eras? in delicato nobilioris Lucinæ ſinu, dediſti ſpecimina, de cujus evolutus gremio, vel cum* Laconibus, *per clypeos reptâſti* Puer, *vel cum* Papyrio, *ſenibus diſcenda agebas. Incrementa annorum, per gradus ſumpſiſti virtutum, omnis levitatis expers, necdum quidem rugoſus & jam incedebas* Cato, *in puerili ſi quando morabaris arena, tunc ad* Olympum *immortalis famæ, illos commoviſti pulveres, quos ſupploſione pedis, ad* Lacædemonias Annibal *excitavit* Aras. Alcibiadis *triumphi*, Themiſtocli *ſomnum, deſidiamq́ excuſſerunt; magni* Philippi *manubiæ, ad majores auſus* Pellæi Juvenis *acuerunt Indolem: Te licet &* Pater Æneâs, & Avunculus Hector, *ad illa quæ non molles* Eryſthæos, *ſed infractos decent* Hercules, *excitabat facinora, ipſa tamen Virtus, in tenello ſubjecto otiari neſcia, Tibi pro ſtimulo erat. Primos quidē ad Magna igniculos, à natura indi, palam eſt; verùm hi ſi ſordidæ ignaviæ inſepeliantur cineri, ſupremam non conſcendunt Sphæram, extingvuntur ſæpiùs, quàm in* Æthnam, & Lyparæas *excreſcunt flammas. Tu* ILLUSTRIS, *ac* MAGNIFICE DOMINE, *à Domeſticis Penatibus, ad Sacrarium deſcendiſti* Minervæ, *eruditæ* Alcmenæ, *ad Seria natam commiſiſti Indolem, Sarmaticæ Aquilæ* Soboles, Periclea, *contra ignorantiam arripuiſti fulmina, ut & triſulcam, ad deterrendos Patriæ hoſtes, præferres facem.* (dd) *Et vix tantùm pulchram Tuæ Juventæ auroram, Scholaſtico extra commenta Poëtarum vexiſti* Pegasô, *illico in culmine Sapientiæ ſtetiſtis vix in Ara* Palladis

(dd) Illuſtris ac Magnificus Dominus famulabatur Bellonæ.

ladis, Gentilitiam *depoſuiſti* Tabulam, *ſtatim in illa omnes ſcientiarum recepti characteres; in qua ſors & virtus miſcentur in unum.* (ee) *Secundis avibus*, *ad* florentiſſimum *omnis Literaturæ* Emporium UNIVERSITATEM *Cracovienſem Te tranſtuliſti;* Juridicis, Mathematicis, *operam navâſti* Diſciplinis; *ut quidquid* Ptolomæus *Ægyptiis*, Solon *Athenienſibus*, Seleucus *Locrenſibus*, Salaminus *Græcis*, Lycurgus *Lacædomonibus*, NumaPompilius *Romanis*, Periander *Corinthiis præſcripſere*, *id totum Tuæ imprimeres Menti. Teſtor* Jagellonica Sceptra, *ſi Tuô aliquid pretioſius habuerunt Ingeniô, de quo* & Prima Poloniæ CAPITA, *judicium dabunt. Magis Tu* Celſiſſimo, *ac* Excellentiſſimo PRINCIPI, PRIMATI Regni, STANISLAO SZEMBEK, *in deliciis eras*, *quàm olim* Eulejus Parthorum *Monarchis*: Ejus Amalthæis, *ipſi par alebaris Jovi, ad* trinas Gentilitias Roſas, *quadratæ perfectionis* Vir *acceſſiſti*, *ut poſtea quaſi* Flos *roſarum in diebus vernis*, Patriæ læti ferres tempora veris. *Multos ad Honorũ cupedias Natura* Tantalos *fecit*, *ſed quibus virtus defuit*, *ſalivam glutiunt cùm voluerunt ſatiare orexim*, *plures cupiditas ad Dignitatum metam, expoſuit* Hyppomenes, *ſed rarò in Olympiis triũphant, qui non tam in ſtadio cum* Attalanta *ſiſtũt*, *quàm in virtute claudicãt cum* Vulcano. *Tunc tantũ fluit Honoris conſequentia, cùm probitas abit in præmiſſam. Virtute allectæ ad Tua quævis currebant Præeminentiæ Limina*, *ſed nimiam earum caſtigâſti violentiam*, *excelſi Honores continuò aditum quærebant*, *non aliter in publicum prodire volentes*, *niſi* Tuarum *pro Tyria Chlamide veſtiti apparatu* Dotum, *aſt Faſtigiata cùm potueris conſcendere Culmina, ſatis duxiſti, illa meruiſſe ſciens bene: quòd pulchrè etiam relucet* Cynoſura *ſub* Arcto, *nec* Sol *geminatis illuſtrior redditur* Panthenæis. *In* Tuo Gentilitio Abaco, *pandit fortuna Theatrum; ſed ophtalmiâ laboranti nihil debens Numini, non* Cyri *fortunam, non* Aſſveri *opes, non* Macedonis *curas ditiones: mentis celſitudine omni æſtimatione ſublimior, nõ* Acrocorinthos, & Capitolinas *volvis animo* Ædes; *hæc apud Te* DAPIFER Digniſſime *cogitamina, ut quotidie indigentibus alimenta dares, jejuna Patriæ vota ſatiares. Alumnus ſum & ego* Tuæ Munificentiæ MECÆNAS Ampliſſime, *non ſilebo Gratias, loquantur tamẽ & plurimi*, *qui de Tua* DAPIFER Digniſſime *participant*

(ee) Virgilius.

Mensa, coronent quem indies hauriũt Fontẽ. *Liberalitatis Tuæ Dexteram exosculantur egeni, deprædicant subditi, libera veneratur* Nobilitas, *in qua novercantis zonâ adusti sortis, ad æstus malorum* Pactoli *in refrigerium stillicidia invenerunt. In Sacrata* Superis *Augustalia, hæc ditando, illa pretiosa supellectili exornando, (ff) dum copiosior* Nilô *effudisti munera, ipsos* Cœlos *Tibi fecisti obligatos. Dos est hæc maxima, & hæreditario jure, heroico Sangvini data, in commune vinculum sociatas habere virtutes, ex Te velut ex Oceano, crystallini probitatum, nulla vitiorum defœdati uligine dimanant fontes, stillat de ore, quâ nec* Hybla *Oratorum gloriatus* Cyneas, *mellea affabilitas, de corde absq; Synoniis artibus sinceritas, de manu inexhaustus Gratiarum* Erydanus, *de profunditate sensuum cultioris svadæ latices, in qua hic tantùm negaret* Hippocrenen, *qui* Pierides, & Palladem *ignoraret.* Jovem *Te, non* Tonantem, *an potius juvantem demonstras Patrem, de cujus nunquàm* Saturnia *fronte, ipsæ leguntur* Charites, *de oculis* Soles, *qui omnibus Te affabilem, nemini præstas non jucundum. Ad* Comitia Generalia Regni, *ab* Equestri Ordine, *destinatus LEGATUS, quantum pro immunitate* Legum, *pro integritate desudaveras* Patriæ, *fidem appello* Antipatrum. *Omnia in Te Natura congessit Dona; quæ in alios divisa sunt, Tu collecta tenes. Hinc est, quod Te* Polonus *appretiat, & æstimat* Orbis, Purpurati *in sui pectoris sacrario deponant* Proceres, *Honorum Sphæræ* personatam *exposcant* Intelligentiam. *Sed tunc aut terra è centro suo mira elevatione terris admota, aut Cœlum rara familiaritate terris acclinatum, dum cum CATHARINA, de* Radomicko *RADOMICKA, CASTELLANISSA* Posnaniensi, *pronuba* Juno, *connubialî Te desponsaverit annulô.* Pandora *altera CATHARINA, quæ* Idaliis, Nymphisq; *negatas,* à Diis *recepit Dotes, in Cujus vultum,* Venus *afflavit venustatem, in cujus linguam,* Mercurius *aspiravit facũdiam, in Cujus corpus verè Divinam* Jupiter *induxit Majestatem. Hæc* Pulcheria, *Te Priamum habere meruit:* Gemmam, *Eam dicerem, utpote candore notabilem ipso, ni se in prodita* Illustrissima PROLE, *ad Præsidium* Patriæ, *ad ornamentum* Reipublicæ, *ad Decus* Academiæ Nostræ, *ANTONIO & CAJETANO* Filiis, *Concham monstraret. Crescit Hæc, inter* Lubranscianæ Pinûs *nemora,* Nobilissima Soboles, *& copiosis-*

simum

(ff) Illustris Mecænas pro reparatione Neomestensis Ecclesiæ certam contribuit summam.

ſimum in herba Patriæ fructum appromittit. Pari Nobili Fratrum, non diſpar Sororum æqualitas jungitur, JUSTINA nempe & MARCIANNA, quæ ſi in antiqua incidiſſent tempora, pulchritudinis Deæ colerentur. Videre eſt in JUSTINA, ut candor oris æmulatur nivium albedinem, innocenti rubore ſuffunduntur genæ, ſcintillant gratiſſima luce, oculorum ſidera, ludunt in fronte Veneres, in vultu lepores, in utraq; magnã pulchritudinis cum Virtute ſympathiam. Conſederat quondam in Eliſiis Campis, plenum Agmen Divorum, in GRABSCIANAM DOMUM, cùm altera Ceres CATHARINA, Kotficianum tranſtulit Campum, in Ea fixam ſtationem, & perenne habitaculum, prima Lechiæ Numina poſuerunt. Legiſti de Hoc Campo MECÆNAS Ampliſſime, in MARIA ANNA, LUDOVICI XV. Auguſtiſſimi Galliarum Regis, de LESZCZYNIIS CONSORTE, inſcriptos Regum Nomine Flores, JABŁONOWSCIORUM Falce, demeſſos Faſcium recepiſti manipulos, KOZMINSCIORUM, ROZDRAZEWSCIORUM Te coronáſti Roſìs, nullì taxandos pretiô, ad altum Tui Sangvinis Mare, MODLIBOWSCIORUM obtinuiſti Adamantes. POTOCCIORUM Cruces, exaltationes ſpondent Honorum, longô meritorum calculô plenæ, Gentilitiæ benedicunt Tabulæ. OPALENSCIORUM, SZOŁDRSCIORUM, PONINSCIORUM, RADZEWSCIORUM, TOMICCIORUM, GORSCIORUM, KURNATOWSCIORUM, Naves, per Purpureum Honoris velificantes Rubiconẽ, Cimelia Dignitatum, Cæſariſq; vehunt Fortunam. CZARNKOWSCIORUM Faſciìs, quænbæ potes catenare adverſa, & MYCIELSCIORUM, ZALESCIORUM, KRETKOWSCIORUM, ZEGOCCIORUM, in via rectèfactorum expolitìs Soleìs, excelſa Eminentiæ conſcendere Culmina. Accedunt His cum ſuis Decoribus SAPIEHARUM, BRONISSIORUM, NIEGOLEWSCIORUM, KRZYCCIORUM, SOKOŁNICCIORUM, BRANIECCIORUM, GARCZYNSCIORUM, MIELZENSCIORUM, UIEYSCIORUM, ZEBRZYDOWSCIORUM, BREZARUM, aliaq; innumera, primo in cultu Poloniæ habita NOMINA, ut noſcat Polonus Orbis, quanta ſit GRABSCIANÆ DOMUS Excellentia, in Cujus Gentilitio Abaco, omnium fermè FAMILIARUM Sortes, depoſuit Fortuna. Et hæc eſt Tibi MECÆNAS Ampliſſime, ad invidiam omnium ſæculorũ, de RADOMICCIANO Cam-

po *Gloriæ Meſſis*, *Hi* Splendores, Illuſtriſſimis Tuis *illati* CERIS. *Diſcent Poſteri, quàm* Iſte *ſit pretioſus* Sangvis, *Cui tot* PROCERUM *innatant* Gemmæ, *Quô tot* PURPURÆ *rubeſcunt. Hinc eſt: quòd* EMINENTIA VIRTUTUM & SAPIENTIÆ THOMAS, *in hac* Domo, *Quæ ex* Illuſtriſſimis Ceris, *ſimulq; ex* Virtute *erumpentibus, tota repleta Splẽdoribûs, vult ſibi inſcribere Stationem, cùm magnificentiùs in* Libano *quàm in obviis montibus, appareant* Cedri, *pulchriùs in* Apogæo, *quàm hypogæo reſplendeant* Soles. *Admitte ergo* ILLUSTRIS, *ac* MAGNIFICE DOMINE, *intra* Sacrarium *benevoli Tui Reſpectûs, non tam Oratoriô calamô, quàm pennâ cordis deſcriptum libellum, concede in Avito Tuo Abaco, cum* ANGELICO DOCTORE *ad Te venienti Clienti Sortes, qui hoe optat, ut* longos ducat iſta Tabella dies. *Recipe hoc* Academici *erga Te ſignum* Candoris, *Qui cum Noſtræ Lubranſcianæ Palladis ſingularis cenſearis* MECÆNAS *dignum eſt, ut* Magno Tuo Nomini, *hâc exiguâ, ex* Te Ipſo *tamen amplíſſimâ, applaudamus pagellâ, cùm grandior non ſuppetat heccatombe. Unio* DOCTORUM, *meliorî lapillô ſignabit momenta*, Aquinaticus Titan, *in Alto* Tui Sanguinis *quieſcẽs Mari, ſerenum felicitatis, abſq; nube fatorum geminabit meridiem*, Eminentia Virtutum & Sapientiæ, *ad excelſos Honorum promovebit Apices: quos* Tibi MECÆNATUM MAXIMO Totiq; Illuſtriſſimæ DOMUI *indeſinenter precatur.*

ILLUSTRIS, ac MAGNIFICÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Obſequentiſſimus Cliens,

Author Operis.

ORATIO.

DEpone tandem quô hucuſq; ipſa versùs attollebaris ſidera faſtũ fatue Orbis, ego hodie ne ab imperita plebe Divorum extorqueas cultum, Timantis reijciam velum, & ipſas in tuis Eminentiis oſtendam vanitates. AA. In ſtuporem mentes rapientia quondam, totius pro Achille Pompæ ſeptem ſtatuis Miracula, mirandum ſuper tui deliquium! quòd acſi puer aliquot annorum deſipias, jam hæc caput non inferunt Aſtris; proh dolor! deſpectum pro Solio tenent ſolum. Detractìs velut Promethei auſu è Firmamẽto Luminaribûs diſtinctum jactas Coſdroæ Cœlum, forſan ignoras vitreum eſſe? quod etſi hydrargyrô non lædatur, coti alliſum fatorum fragilitatem ſuam propalavit. Obeliſcos olim Seſſoſtri eductos, erectas Trajano Columnas, Alexandro dicatas Tabulas, Arcus Cõ-

ſtntino flexos excitatas Pyramides Nino, elaboratas Cæſari Statuas quid magnificè effers! potius ejuſmodi inanem ſuperbiam metire ex ruderibus, ut vel ex tua palma, decempedam habeas hujus, quam pleno debuccinas ore Eminentiæ Prævenio mentem: ipſis affines Sphæris non oſtentes Turres! hæ ſæpe Babylonem loquuntur, & nullo expectato ad ſui ruinam, Myrmidone cadunt. Nec tumor inflet! quòd in gemmis Erithræ, in velleribus Aſſiriæ, in auro Dalmaciæ, Cimbiæ in argento, Daunorum in meſſilegio, Corinthi in marmoribus ſcribaris poſſeſſor; vanum mehercule! aureîs cum Vitelio ſaginari panibûs, & poſt tam lautum edulium, præ fame cum Mida ſpiritum exhalare. Vel ſaltem ſignatorii Summæ Authoritatis Faſces, Romana cum Argolicis de ſubactis Gentibus Trophæa, pro Mundanæ Eminentiæ ſtabunt argumẽto? Sed percipe qui guſtum veræ ſentis gloriæ! ſi non peſſimè olent triumphales Pompæ, quæ cruore maduerunt. Deme aſſentationis notam! qui ſtybium & ceruſſam odiſti, votiva populornm tripudia, vox vox prætereaq; nihil apparebunt. Deſine adulationis pulſare tympanum Chriſippe! in Orbis ſcena etſi curioſi Trazones, nullas videbunt choreas animorum. Inepta excellentiæ menſura, lunato Regnorum datus plauſus poplite; qui ſuâ auguſtus virtute, non eget ſuffragiô populorum. Quid Gentium Provinciarumque Dominas Darii extollitis Virgas! hæ ne reddunt beatum? quas adhuc in cruenta geſtatorum verbera, fortior eripere poteſt. Quòd Marii adempta bobus Gabiis imponunt juga, quòd Antonii per ſtrata populorum

ca-

cadavera, triumphi quadrigîs ad Gloriæ tolluntur Capitolium, mera ſunt protheiſantis ludibria ſortis. Nec vos in alto Honorum apice feſtivi Tritones, ſupremum Eminentiæ Apogæum., ſine hypogæo tenere, inflatîs per Orbem buccinetis tubîs! bene gnari; ut rarus Cæſar, qui ſub Imperatoria non erubeſcat Purpura, rarior Cyrus, qui cum coronando Capite in utre ſangvineo non mergatur. Decreſcunt in incrementis Aſcenſiones Mundanæ, Dignitatum Lumina velut fulmina, quò impenſiùs ſcintillant, eò magis à Majeſtate ſplendoris deſinūt in umbras. Circulares licètſi Coronarum Sphæræ, cæterum tamen æterno nunquàm circa idem centrum gyrantur motu; à Medis ad Aſſirios, ab Aſſiriis ad Perſas à Perſis ad Græcos, ab his ad Romanos devolvuntur, ut inde diſcas; fulgere aliquādo illuſtriſſimosTitulos ſed ad ſuperficiem tantùm,interiùs ſi ſcrutaberis fatuos inferes ignes, in Oriente viſos, mox in Occidente reſplendentes. Apage ergo in phántaſmate tantùm oculos animoſq; deludens, Mundi Celſitudo! elevatus ſupra hoc fatū, vel ad ipſius *Thomiſtici*, elevationem *Solis* DOMINICI *Orbis*, quid quid fovet, par Cœlis; cujus magnitudo excedit Ptolomæos, amplitudo confundit Archimedes, nova decorum Regio aſſerendus. In illum, quippe tranſiliit Palladium, tranſmigrârunt Athenæ, ingeniorum volârunt Phænices, in quo prima Sapientiæ Numina Solium poſuere. Si alibi, hìc præcipuè Centrum Literarii videndum Poli; unde intellectuales perfectæ ſcientiæ ductæ lineæ, totam Chriſtiani Orbis attingunt peripheriā. Una tantum ex tot dumetis ad Inſignia Deorum eligi-

 tur

tur Dodona: hic quilibet Ganymedes, dignus Superum Arîs; ni etiam ad illas obſtante modeſtia debuerit trahi. Excelſæ frontis dico eſſe Honorem, vix eum coges ut ſe ſubmittat alicui, præter DOMINICI FAMILIAM; cui inquilinus *in Sacri Magiſtris Palatii* quotãnis Purpuras cõfert, deEjus recedere Ordine grãde piaculũ ſupponẽdo. Approbat hoc Caput Orbis Roma, plauſuſq; plauſibus miſcet, quòd in triginta novem Eccleſiæ PATRIBUS ſupra ſeptem extollatur Colles, quòd in centum triginta Tiaratis ARCHI-EPISCOPORUM Capitibus triumphale ſui firmaverit Capitoliũ, qũòd ſeptingenta ſeptuagintaq; in EPISCOPIS Paſtoralia pro infracto acceperit columine; tranſcendens eam dicerem Honorum, dum & Supremam terris in ipſis PONTIFICIBUS veneror Poteſtatem. Ad Ejus ſi deſcendemus fundamina, mirabimur in radice ſublimitatem; adhuc Illi primam recipienti plantam per Stellatum SS. PATRIARCHÆ verticem, in cidarim ceſſerunt Aſtra, quid mirum! quòd jam à *quatuor ſæculis* latè diffuſa in Orbem, ipsô nõnisi poteſt tegiOlympô. DOMINICI Stellam quis aliis non præferet Luminaribus? quæ non ſolùm Gentes, ſed & plurimos gentilium Reges ad adorationem veri præceſſit Numinis, cujus ſalutaris doctrinæ influentiis, depravatæ mortalium mentes ſi non potuerant cogi, debuerant ad bonũ inclinari. Vaticana referam Oracula: *Pugiles Fidei ſunt* (a) DOMINICI Sectatores, ſub his Chironibus ſingulæ Orbis Plagæ melius didicerunt ſapere, qui in *Oriente* ſapientiæ lumine impietatis diſperſerunt cimerias, *Meridiem* Apoſtolicô accẽderunt

(a) *Honorius 3tius.*

zelô,

zelô, ſub *Arctico Polo* rebellês urſas animosi Throni Salomonis fregerunt Leones, in *Occidentem* candidi Paradiſi volantes Cygni, dulce Fidei apud barbaros cecinerunt melos, Atticas noctes, Archylicæa & Peripatus, per ANGELICUM DOCTOREM THOMAM, (Qui ſecundùm Sacroſancta Petræ reſponſa *Lumen eſt oculorum*,) (b) illuſtrârũt. Ulteriùs progredi in Veſtra encomia *Religioſiſſimi* PATRES, Oratoris non valet dictio, in unum dum impegit THOMAM, Pantheon Virorum, Iliadem dixit ſplendorum. In uno THOMA, tanta Veſtrum apparuit Eminẽtia, ut totus Chriſtianus Orbis det Vobis vinctas in triumphũ manus, Theologicum Mare, Eurippus Philoſophicus, elevatîs vocibûs plaudant; quòd ſuper abyſſali THOMÆ ſcientia ſtabilitum, militantis fundamentũ Eccleſiæ, vacillanti Sapiẽtiæ lapis poſitus angularis. De Aquinaticis Fluminibus tantũ Doctorales, primîs labrîs hauſerunt corymbi, quantum alibi nec ultimîs potuerunt. De erudito THOMÆ Capite, extra Pòëtarum cõmenta Orbi Literario renata Pallas, langventi Fidei prima valetudo venit. Inconcuſsîs ANGELICI DOCTORIS rationibûs convulſæ hæreſes, ſuperata Schiſmaticorũ contumacia, ſectæ enervatæ. Laconiſticè dicã: unus THOMAS Sapiẽntiæ Encyclopædia, Sanctitatis Prodigium, Epitome virtutum; cujus Nomen vel nudè pronunciatum, adeò excellentes mentibus imprimit idæas, ut de ſe illis cogitandi modum non relinquat. Ergo utar Religione: ANGELICUM DOCTOREM THOMAM EMINENTIAM VIRTUTUM & SAPIENTIÆ ulteriori dictione

(b) *Paulus 4tus Summi Pontifices.*

ne venerabor. Agam EminentiæTuæ adoratorem THOMA DIVINISSIME, guttam affundam Oceano, unicamTheagenis addam gemmam Coronis, in pectore Tuo horoſcopantem Hyperionem Diogenis illuſtrabo tædâ, tantùm fac ne à Tuæ Eminentiæ opprimar Gloria, utiq; etiam ore minori *ingeniôque volunt Numina magna coli.* Patiemini parumper AA: egoVirtutes & Sapientiam enarrabo, Vos pro earum Eminentia in THOMAM unanimî conſentietis votô.

ANcillantis fortunæ rotâ ad excelſa Eminentiæ evehi Solia, ſit problemma; auguſtaVirtutis & Sapientiæ manu, ſublimes levari in Thronos, oraculo proximum AA. Vendicet ſibi à bifronte Jano, qui primus Coronarum nummorumq; fuerat Author, hæreditario jure Majeſtates Præneſti Deæ: germanæ Virtus & Sapientia Sorores cùm à Superis ſuam ducant originē, Suprema Faſtigia in genuino poſſident Patrimonio. Solius Virtutis poteſtas, vulgô excipere; peculiaris Sapientiæ metaphora, à paleis ad Regum Paludamenta transferre. Virtus ad macellariam damnatum tabernam Fabricium ad Conſulares evexit Faſces, Sapientia natum ad ſervitutem Jacob fecit præeſſe, ab Eſau in domum ejus Regnum transferendo. Prudens certè eſt in Coronis aurum, fœtum nonniſi Pallade cui inhæreat exambit caput, extra mentem ejus, ſi quando ad vacuum deſcendat. Bibe tantùm de torrente Aganippeæ Hipocrenes, exaltabis ad Diadema frontem, indue pulchros virtutum habitus, pandet tibi ſua oſtia Honor; etſi te nulla morum dehoneſtat verruca, dignus Imperiô judicaberis.

Ad

Ad nundinas Diogenis opulentissimæ Dignitatum coemuntur merces, quas ut tibi compares, non jam Plutum feras, sed Virtutem divitiîs animosam suîs. Privilegiô Virtutis perēnant Tituli, nec squallet aureîs Regnantium referta Hesperia Malîs, si eam hæc sanctior fovet Pomona. Moveat ipsa Acheronta Juno, de vertice Herculis Ariadnes serta, aureas Persei non detrahet Stellas, tota Siderum Sphæra, heroicæ volvitur in coronamentum Virtuti. Afflante sortis benignæ Favonio ad mensam Deorum, ad quam generositas Martem, facundia Mercurium, clementia Jovem, Venerem gratiæ, Saturnum promovit maturitas, velut leves plumæ rapiantur Ganymedes; patientur in alto vertiginē, si extra pondus existent meritorum. Quid juvat Phäëtontes Solis conscendere currus? si oleô deficiant capitis, etiam in fonte luminis tyrresias agēt. *Aram* ego venerarer inclytam Virtutem, in qua cujusvis Præeminentiæ consecratur hostia: *Auroram* inferrem Sapientiam, quæ Serenissimos Majestatibus invehit Hyperiones, ni hæc quæ præsaga dixi, re ipsa probaret eventus. *Divinæ Mentis* INTERPRES, *Angelorum* MAGISTER, *Universitatum* PHÆBUS THOMAS, Virtutis & Sapientiæ suffragiô ad tantam devenit Eminētiam, ut penes Illum omnis Celsitudo terr*æ* humi serperet, velutq; tenuis ad Alexandrinam Pharon lychnus appareret. Hanc in T H O M A dum Ipsæ è Classe Superum mirantur Intelligenti*æ*, quomodo eam tenuis ingenii emetietur arundo. Sed stupetis forsan tam magnifica contigisse THOMÆ? cogitantes de Illo absoluturi Mæonidas, præbete aures? è me-

lioris cortina Phæbi depromptis oraculis *Anachoretæ Boni.* Solitarius hic montium nemorumque Incola, in turione Cedrum, in planta prædixit Olympum. Cavernosæ inhabitator specûs profundũ se in speculativis ostendit, dum quantæ Eminentiæ gestaret Filium, in eremitica cellula acsi in *Celarent*, ex præmissis sibi Divinitùs revelatis, directè argumenta formando elucidavit *Theodoræ*. Nimirum habet suos anteambulones ad magna adolescens Virtus, ne statim in vestibulo propolam agat. Regia Solis erat Illustrissima AQUINATUM PROSAPIA, Hujus primæ magnitudinis LUMINARIS ortum, lingva Cœli, primus evigilantis Phœbi risus aurora; an potiùs *Anachoreta Bonus* nõ vano sui nominis omine prædicere debuerat. Magnæ Authoritatis futurus erat THOMAS, ad Cujꝰ Genethlia, adhuc ante tempus, pro panegyri Cœlũm desudabat. Date judicium AA. si necdum Sol Aquinaticus, altissimam Lucinæ conscendit sphæram, & jam supremum Gloriæ tenet Apogæum, quid mentis observandum astrolabiô? dum ex Gentilitiis Aquis, prout ex Tethyos consurgẽs Regno, ad horoscopum introitus celebrabit. Si adhuc hæc in cõcha Lydiũ nanciscitur gẽma, quid dicẽdũ? dum nativa sede relicta, Spõsæ Christi cedet in coronam. Si necdum THOMAS Universitati incorporatur viventium, & jam de Illius excellentia sacra Albuneæ disputant deserta, quid inferendum? dum *Theodora* suum *Conceptum* explicabit. Et jam bonîs Avibûs ex Serenissima REGUM PROSAPIA *Rex Gloriæ*, ex Illustrissima COMITUM de AQUINO DOMO, *Princeps Dominusq;*

vir-

virtutum, à coronatis Solibus non Phàëton, ab Imperantium Sceptris non Driadum ſtipes, à Luciis, non gobialis Gabinius proceſſit THOMAS. Cogita bina Siciliæ, & Arragoniæ Diadēmata, quæ altæ Conſangvinitatis pulchrè junxit linea, ut inferas; inter hæc excellentiſſima extrema VIRTUTUM EMINENTIAM verſari THOMAM. Per Faſces & Trabeas Cæſarũ, per Purpuras Mitraſq; Principum, per clypeos galeaſq; Heroum, adhuc infans reptavit, ſed tenellus *Moyſes*, primîs calcibûs Coronas proculcavit. Ante Majorum ſuorum Imagines in Ara Honoris appēlas, thura libaq; in heccatomben ſacrificari, ante Thronos AQUINATIBUS feudatarios, cadentes in adorationem adhuc puſio conſpexit Gentes, aſt ſuæ Geneſeos Libros Regũ revolvendo, nihil ad ſe pertinere ratus, præter ſolas virtutes, earum nonniſi poſſeſſionem invaſit. Majorum Ceras in Natalium ardentes Empyreo, ad cereos Gloriæ nobilior diſpoſuit Juno, univerſa Avorum Atavorumq; Decora lege transfuſionis traduxit, ut totus ſit in ſplendoribus: hæc tamen omnia præcelſa THOMÆ dedignatur Indoles, quem Virtus & Sapientia, ad aliam Eminētiam avocabat. Conſiderate tragædiam: pendens ab ulnis lactantium THOMAS, conſpicit à Paranympho Cœleſti nunciatum MARIÆ Ave, & illico geminas frontium nubes reſolvit in nimbos. Bene Tibi conſuluiſti THOMA, HypoſtaticæUnionioni nuncia ſyngrapha, intra roſcidos lachrymarum naufraga fontes, faciliùs cordis Tui vortice haurietur. Et factum eſt: inſignitā Nomine MARIÆ ſchedulam, à nutricibus ereptam, mox copi-

sîs ſui vágitûs expetitam lymphîs, ore & corde delibavit. Nemo Te THOMA DIVINISSIME, EMINENTIAM VIRTUTUM & SAPIENTIÆ negabit, dum ſummitatem Turris Davidicæ occupâſti. Jam de excellentia Tecum ipſe certabit Olympus, dum pectoris Tui Sphærâ præcinxiſti MARIAM; Cui Cœli Sidera ceſſerunt in Coronã. Novit bene hic Sacer puſio, qui ob Eminentiam Sapientiæ Phœnix Doctorum habendus erat, non in delicato Cypridis ſinu, ſed in ſacro Monte Libani, ejuſmodi lecto prodeſſe virgulta. Dicerem ego; magnæ Dignitatis fuiſſe THOMAM, cui Cœleſtes applaudunt Spiritus, quô ſolam tantùm ſui Reginam ſalutârunt Ave, hôc in Infante propriũ ſalutant Doctorem. Tenerem; nullam aptiorem ad examinandam AQUINATIS Magnitudinem ſuppetere menſuram, quàm illæ Ulnæ, quæ Dei Immenſitatem ſunt amplexæ. Extra Luculli cænas, Antonii obſonia Fontis Signati altus Gemmâ THOMAS, altum petit MARIAM in præcordiis geſtans abit in montana, unô domi peractô luſtrô luſtraturus abdita rerum, montis Caſſini conſcendit colles, grandis ejus Indoles non potuit parvô ſuã metiri Majeſtatem. Hyampæum & Tytorea Parnaſſum poſcunt, excelſi ut emineant Coloſſi, Apẽnini culmine opus. Pluſquàm *Darius* aureo captivatum torque portat Solem THOMAS, ergo prius viſitat juga, antequàm ad valles deſcendat. Cõſiſtens in alto omnia Mundi magnalia ad quæ Magni aſpirant, quia Magnîs Major erat deſpexerat; celſitudine animi omnibûs Faſtigiis ſublimior, digladiantium humi de rebus abjectiſſimis cupidita-

tum

tum turbines velut Olympus infra se posuit, vacillante pede levitatem contrivit, in se Ipsum sub tenera fronte Catonis supercilio rugosus, non Paphi illecebras aut Agyrtarum secutus ludos; ast palmã præripiendo Viris, ut spem de se præcurrat conceptam, ad majora indies procedebat. Vitiorum non noscens scarabæos de BENEDICTI Rosis Hyblam Virtutum, Hymettum collegit Sapientiæ. Scholasticam quinquennis vix presit arenã; felicior *Perseus* fragrantissimos eruditionis produxit flores; monstravit statim in pulchra suæ juventæ aurora, quæ Musis dicitur amica, quâ eruditionis luce in hespero resplenderet. In Cassinensi Musæo una alteraq; eruditur Olympiade, & jam mens ejus Olympũ scandit. elevatissimô quantumvis AUGUSTINORUM non attingibilem Ingeniô repetendo quæstionem: *quid est DEUS?* Decuit THOMAM in primo discipulatûs sui tirocinio *Alpham* scire *rerum*. At siste! sublimia petis si Aquila es? obtundet Lux inaccessibilis acutissimam quantũvis pupillam, si Luminare Te arbitraris? lucẽte Phæbo etiam primæ magnitudinis Sidera extingvũtur. Verùm sciverat se EMINENTIAM VIRTUTUM & SAPIENTIÆ fore; hinc illa, quæ eum magis erigerent in altum, attentabat. Indagat Lapidem Angularem, ut in Illo refractîs radiîs ad purissimũ mentis suæ diaphanum intaminatum Virtutis lumẽ possit aggregare. Scrutatur Increatam Intelligentiam, mox Literario Polo in primum Mobile abiturus. Et hæc in Montibus BENEDICTI Eminẽtiæ Thomisticæ fuere fundamenta, adeo sublimia apparuere initia, ut aliis in ipsis desinere, pro ma-

gnifico haberetur. Non potuit tantam Virtutũ Eminentiam unus capere locus, hinc Neapolitanũ THOMAS transfertur in Parnassum. Detumuerunt ad plantas Ejus bifidi Heliconis vertices, & novum salutando Apollinem, qui cum Jove Palladem, cum PyrrhoMusas docto gerebat vertice, sonuerunt classica Pindi. Venienti THOMÆ Tusculum Tullius, Peripatum cessit Stagyrites, Porphyrii Arbor triumphales flexa in arcus, quòd alluentibûs Aquinaticîs Undîs vigore floreat immortali. StupueruntLycæa non se intricatîs potentia evolvere cogitationibûs, quomodoTHOMAS ætatem anticipando judiciô sine Palæstra Doctor, sine tirocinio Magister, & vix aliquot tantùm Minervæ litaret aristas refertissimos fruge eruditionis de Literaria arena legit manipulos. Hactenꝰ EMINENTIAM SAPIENTIÆ THOMAM Parnassiis mirabamur in collibus, nunc profundam Dominicanæ humilitatis subingrediamur abyssum, commodiùs hujus *Phæbi*, jam scientifica luce curiosas everberantis pupillas, amplitudinem conspecturi. Admovet THOMAS Majorum Ceras Gusmaniæ Faci, ut pulchriùs ardeant in Aris accensæ. Infert Prædecessorum Statuas Sacris Laribus, ut magis in Pantheo expositæ adorentur. Laticlavios Murices in candidiorem Religiosi habitûs transmutavit Vestem, ut se AQUILÆ ALBÆ *Heròëm* testaretur. Serenissimos Titulos, qui velut glacies fœtidas aquas, superficiali pulchritudine ad eliciendas non uni lachrymas, atros còòperiunt fumos, despexit; Regum Tænias coloratas judicavit irides, Imperatorum Diadẽmata, malè à sua peripheria æterni-

ta-

tatem auſpicari cenſuit, ſi ad normam Cœli non rotentur. Magnanimo rerum tẽporaliũ contemptu quatiebat humum, pro exhilaratione ſilentiũ, pro converſatione ſollicitudinem elegit, Gentilitia Flumina Dominici commiſit Sideribus, ne Mundanæ vanitatis Eolô turbarentur. Aperite ergo *Principes terræ*, quia PRÆDICATORES Portas, Regum Progenies, non jam *Virtutum Dominus*, ſed ipſa earum EMINENTIA THOMAS introibit. Hic pulſat oſtia, per quem Veſtrum Nomen, & quà Sol oritur, & quà occidit inclareſcet. Sed me ſtupor tenet? quomodo ſumma petit livor, perflant altiſſima venti; qui non tam cannas & ceſpites, ut quercus Baſan, & Cedros Libani evellere ſatagunt. Cõquerens de ſuo contemptu Mundus, in primo limine THOMÆ obſtacula ponit, utq; ſua flectat ad vota Sceptra & Coronas, quibus victrices ſuccumbunt manus, auguſti inclinantur Vertices offert; magnæ ſpei vexilla ad quorum aſpectum Beniamitarum more militantium inflammantur animi, expandit; ſub quibus fortunatam AQUINATI appromittit auram. Cernens ſe vel ſolo THOMÆ exarmatum aſpectu, commovet Gentilitias Undas, ut vel Sirenes ad eludendum Sanctiorem *Ulyſſem*, vel Charybdes ad deterrendũ hunc feliciorem *Jaſonem* jam per Tiberis vada, ad Immaculati Vellus navigantem Agni, commotæ ſubminiſtrent. Vix hæc meam intrant cogitamina mentem: còëunt in unum gemini Tindaridæ, feralis hæc conjunctio THOMÆ! Quem tendentẽ Lutetiam *Arnoldus* & *Landulphus* proh ſtupor! ipſam EMINENTIAM captivant, captivatam vinciunt, vinctam

carceri includunt tenebroſo. Irridet veſaniam Fratrum: potuiſtis temerarii Phäëtontes Erydano Aquinatico tantiſper immergere Solem, ſed de centroThomiſtici detrahere pectoris non eſt Veſtrum; mox ſpe eluſi propria tanti pœnas lugebitis ausûs. Quot armata contra Majeſtatem Principis Planetarum Orionis Stella, quot conjurati ad prælia contra ſupremam àëris Regionem venti, tot Vos contra VIRTUTUM EMINENTIAM THOMAM potuiſtis. Non coarctâſtis Magnitudinem THOMÆ, licètſi catenâſtis; ampliorem utiq; Homerus Iliadem facit, dum eam in arcto nucis putamine claudit. Dicite ſi non Eminentior in vincūlis *Joannes*, quàm *Herodes* in Purpura cēſetur fuiſſe. Aſt hìc pallent in vultu roſæ, vox faucibus hæret, Harpocrati ne? an Apollini litandum? ubi invicto ALCIDÆ. *Omphyla*, fortiſſimo SAMSONI *Dalila*, caſtiſſimo HYPPOLITO *Phædra*, EMINENTIÆ VIRTUTUM *ipſum ſcelus*, è ſpuma nata objicitur Venus. Confundent te maleſana Mater *Clotildis*, quæ *Clodoveum* Galliæ, *Chieſontis Angla*, quæ *Offam* Saxonum, *Theodolinda* quæ *Agilulphū* Longobardorum, *Giſella Bavara*, quæ *Stephanum* Ungariæ Reges proſcriptâ idololatriâ Chriſto ſunt lucratæ: tu *Regium Sangvinem* orco vis conſecrare. Scias hunc Fontem de Patritiis emanantē Undis pluſquàm Epheſi fore, utpote nuper *Cæleſti Diannæ* dicatum MARIÆ, libantes Cypridi Laides non admittet. Cordis Thomiſtici ardores ad decentes ſolùmmodo aſpirant faces, fætentem ſulphure ſtygis oderint conſcientiā Ignoras ne? ſalire inter ignes *Salamandram*, & non aduri, aſcendere in Cœlū *vapo-*

po-

pores, & non tangere imprèſſione: EMINENTIA VIRTUTUM THOMAS, Cythereæ famulari puero cenſebit dedecorum, inter vitioſas Veneres Joſephi memoriam revocabit. Imo plus fecit ut dixi THOMAS, contra monſtrum horrendum non integri capitis, quia ſine fronte mulierem, ſagittas ſuas ardentes efficiens non clavâ, ſed arrepto prævaluit titione. Fugavit tartari *tenebriones* infernales *luce Leones*, excellentiſſimô elementô ſupremã ſe in Virtutibus occupare Sphæram demonſtravit. Triumpha ergo in Tuis ignibus Sanctior Scævola! quos Veſtalis in corde excitaverat Focus; jam Tuã EMINENTIAM *Caſtrenſibûs* in *Caſtro* JOANNIS comprobaſti Actîs. Conſiderate ejuſmodi victoriam AA: quam nec Scipio ad Numantiam, nec Achilles ad Trojam, nec Annibal ad Cannas reportavit. Attendite ſimul! ut illam ipſi Olympi Cives Superũ celebrãt in Capitolio, moxq; Cœlo deſcendẽtes ab alto, torque *Torquatũ* baltheô triũphatorẽ præcingũt THOMAM. Accipe itaq; à cognatis Tuo Cãdori Intelligẽtiis, oblatã zonã, cùm fueris EMINENTISSIMUS, etiam extra Romanorum conſvetudinem, hæc Te pridem decuit non muralis Corona. Crediderim ego protunc *ardentem titionẽ* quô laſciva fugata Eumenis, feſtivos THOMÆ in Empyrei Regia accendiſſe *Hymenæos*, hinc Angelicæ catenæ annulîs Mundani contemptorem connubii, cum Cœlis ſponſalia iniiſſe. Erumpit tandem majorî flammâ ſub modio Lux aſſervata, quæ adeo vehementî ſenſibilî, incapaces hujus ſplendoris læſit pupillas; ut è carceris antro diſpareret inviſa. Aliàs ſubductus mentis honeſtæ Pegasô malecom-

ptæ Medusæ, an potius infernali Chimeræ, quæ ipso afflatu venenum innocentiæ ferebat Sanctior *Bellerophon*, non expectat sibi adaperiri fores, quibus jam pro Penatibus fuit assignatus cupido, per fenestram volat Coloniam Agrippinam petiturus, Coronãtur secundo vota eventu: THOMAS fausto pedẽmate in Parisiensi sistens Sorbona suæ magnitudinis capacem, magnum Albertum nanciscitur Præceptorem. Felix tanto Achille Chiron, cujus Magnitudis mensura, si ex *octingentis* habetur *Voluminibus*, non minùs etiam & ex EMINENTIA SAPIENTIÆ THOMA. In doctis Olympiis nullus huic *Hyppomeni* præripuit palmam, nullus hôc *Stadiodromô* citiùs ad Acrocorynthias stetit Minervæ Arces. Exhauriat unô cyathô Sapiẽtiæ æquor Trismegistus, THOMAS vix Eurippũ Philosophicum cum Theologico gustaverat Mari, totam Scientiarum amplitudinem in suam ex nomine transfudit abyssum. Et cùm jam ad Aquinatica Flumina omnium Artium plenô alveô defluxere latices, ceperunt sine murmure volvi: altissimorũ hoc fontium, minimô sonô labi; hesterni torrẽtes crepitant, etsi tantùm formicæ turbentur alâ. Ad Literarii Poli movendum Sphæras personata erat Intelligentia THOMAS, plus dicam, Angelorum Magister, unde siluit; Eorum namq; attributum tacitè loqui. Decerpsit jam inter Galliæ Lilia ad suæ mentis Viridarium omnem de Pæsto Minervæ florem; sed *industriosa Apis* mellifluos eruditionis architectando favos, quibûs jejunas pascat mentes, ipsis Superis dulce subministret nectar; testes sui laboris non admisit. *Mysteriosa hæc Concha* ex Gẽtili-

tilitiis Fontibus in Scholaſticū delapſa æquor, ſub Dominici Sideribus, non aliunde; niſi de Crucifixi Vulneribus, guttas gemmeæ bibens facundiæ; eas tamen niſi intra proprium abſcondat ſinum in margaritas non cõvertit. Intellexit perbelle THOMAS, quod ament pretioſa latere; in ipſo Nerei fundo quieſcant uniones, arenoſi in littore lapilli offendantur. Hôc ipsô EMINENTIAM ſe SAPIENTIÆ probavit THOMAS, cùm ſtrictum taciturnitatis repagulum impoſuit ori, utiq; ultra homines aſcendit, *proximus ille Diis, qui ſcit ratione tacere.* Multi ſunt, qui etiam in Sole maculas quærunt; præcelſa enim Virtus, ut non procul à Jove ſuperſtes, ita & à fulmine invidiæ diſtat. EMINENTIAM SAPIENTIÆ, vel primo intuitu cernentes Compalæſtritæ THOMAM, quærunt acſi in cryſtallo nævos; ſed in THOMA etſi tertius de Cœlo deſcenderet Cato, nihil adverteret condemnandũ. Inferunt tamen hi crabrones, qui etiam in roſis inveniũt venenũ, bovem eſſe THOMAM, quaſi Apollineo pulſatum pectine tympanũ ſonans, quàm ferrea Mulciberi percuſſum manu ſilens obryzum, pluris debeat æſtimari. Sit Veſtra fide bos THOMAS, bene etiam ad hanc materiam Jovis Illi ineſſe Ingenium, ſcrutator naturarum teſtatur Albertus; hoc de Cathedra proferens edictũ: THOMA *Tu mihi non reſpondentis, ſed Doctoris locũ obtinere* videris. Ita eſt: Abyſſus THOMAS diſcẽdo captat eruditionis flumina, ſed docendo, totum ſcientiæ effundit Mare. Extra Delphos dum hic loquitur *Tripos*, oraculum; extra Platonis Metempſichoſim, dum tacet *Pythagoras*, miraculum cre-

E di-

ditur ab universis. Tam claris Antecedentibus non ausus Literarius Honor, pro EMINENTIA SAPIENTIÆ in THOMAM negare consequentiam; sed THOMAS in humilitatis bene exercitatus Schola, non vult eam acceptare. In THOMÆ Capite quanta conciperetur Minerva, Theologicæ videntes Laureæ, de tam nobilissimo contendunt subjecto, sed contra praxim Sol Aquinaticus, eruditam fugit Daphen. Frange jam o THOMA tam acerbam vitæ modestissimæ regulam! & collatîs quantocius potire donîs: si omnium in Sacra Religione ut Doctor Parisiorum fias resistis votis, cũ calculo saltim per unum ex viginti quatuor Senioribus, in Tuam Personam properãti Cœlo est obsequendum. Obsequitur Cœlituum Superiorũq; mandato, Doctoralis Cathedræ ascendit suggestũ, meliùs ex alto Orbi Christiano EMINENTIAM SAPIENTIÆ monstraturus. *Augustini* sublimitas, *Gregorii* svavitas, *Nazianzeni* subtilitas, *Ambrosii* Nectar, Hybla *Bernardi*, Aurum *Chrisostomi* eminuit in THOMA; & quid quid intra Ecclesiæ Doctores magnificum fuit, totum id in sua conclusit Summa. Sufficit ad Magnitudinem Thomisticæ Doctrinæ, (cui Regna & Universitates in Pulpita cessere) quòd Cœlestis Provinciæ Princeps *Petrum* & *Paulum* admiratores habuerit sui. De *Vase Electionis* illa, quæ non licet homini loqui exsuxit, super *Petram* tam stabiliter EMINENTIAM suæ THOMAS firmavit SAPIENTIÆ, ut adversùs eam nec portæ inferi prævalerent. Efferat procaces ad sidera sibillos, trifaux canis, ipseq; per Bucerum ponens os suum in THOMAM Pluto, *Tolle*

THO-

THOMAM, *& dissipabo Ecclesiam.* Sed ah quàm irrito conatu! jacula Solem, Olympum venti, rupē tentabunt procellæ; dum Thomisticæ Scientiæ, & Ipse *AngularisLapis* in fundamentum cessit. Nimirum; quid quid eruditâTHOMAS annotavit pennâ, non levî foliô, sed aurô Cedroq; dignum, Cœlestis testatur Magister: *Bene de me scripsisti* THOMA. Quid putatis? quàm altūm Ingenium Quæstiones sapuerunt THOMÆ, dum jam hic terris deesset, qui illas approbaret, sub censurā INCREATÆ veniunt SAPIENTIÆ, quas per *Bene*, nulli subijci Catoni declaravit. Et quis jam EMINENTIAM SAPIENTIÆ non fatebitur Thomā? nisi forsan, qui Pæstanæ cicutam rosæ, Mæoticā uliginem anteferret auro. Privatorum hoc munus, unicâ alicujus pretii gemmâ superbire: THOMAS Virtutū & Sapiētiæ Eminētia. Novit hoc beneCaput Orbis Roma, NeapolitanāTHOMÆ offertTiaram, ut ab hoc subjecto propriam denominationē sortiatur. Sed posuit Illustrissimos infra seTitulos; & licèt decondigno semper debeatur probitati Honos, Ille ad UniversaleVirtutum sufficere ratus, in potentia de quibusvis Honoribus prædicari. In famoso Romanæ AulæTheatro, ad cōspectū rubri coloris plusquàm Elephantes accēdūtur innumeri, & non rarò ut rubeas in fronte portent rosas, intemeratissima etiam cādoris lilia è corde evellūt: THOMAS etsi non raptui Ganymedis, sed Alcidæ Virtuti, inter Christiani Orbis sidera solium debeat, maximam tamen EMINENTIAM elegit, non eminere. Certant adhuc svavissimîs medîs cum THOMA Honores, Lugdunēse cum tot Ecclesiæ

Patribus EMINENTIAM SAPIENTIÆ, Navis Petri cum Agni Immaculati Vellere *Archinavarchū* peritissimum THOMAM, anhelantibûs expectant desideriîs. Sed eheu! quantum rebus invida fata secundis: properanti contra rebelles Cœlo Geriones huic Herculi, in nova Fossa ponitur *non plus ultra.* Non triumphate inde infernalis Medusæ tabô, Eumenidum mamillîs oblactata orci proles, hæreseos monstra! altiùs vos adhuc subtili Literarum acumine feriet THOMAS, qui ad mensam sedendo Regiam, jam de Vobis cecinit triumphalia; *conclusum est contra Manichæos.* O felix Tanto Hospite nova Fossa! vastitatem tuam stupemus, dum Virtutum & Sapientiæ absorpsisti Abyssum; capacitatem miramur dum conterminam Cœlo EMINENTIAM abscondisti; beati *Bernardi* Latices, qui lassatum itinere THOMAM, in viam æternitatis refecistis. Quirinæ Gentis Proceres, stolîs ornati ad Capitolium præcedebant Viri; THOMÆ qui *Princeps* Togatorum erat, an veriùs VIRTUTUM & SAPIENTIÆ EMINENTIA, ut in quadro positā ad Cœlestem Jerusalem præeat, Superi demittūt lampadem; crediderim Hesperum esse hujus *Phæbi* nunciantem occasum; seu auroram demonstrātem non jam Angelum, sed Angelorum Doctorē, annîs quinquaginta circiter certantem, ad Supremam Hierarchiam abiisse. Et cùm jam ingredienti beatam illam Patriam, Lingvæ Cœli, Paradisi hæredes applaudunt THOMÆ, ego digitum ad labellum pono; satis duxi ad gloriam, dum EMINENTIAM VIRTUTUM & SAPIENTIÆ

D I X I.